



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

cap. 22. De Lectore Decretorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

actio Synodalis exactissime cum Magistris Caremoniarum peragatur, breuissimo sibi facto Indice totius actionis, ab initio vsque ad finem, memoriæ causa, & promptioris executionis, cuius indicis formula dabitur infra p. 4. cap. 12. ne quicquam in hoc genere desideretur à nobis.

DE NOTARIO SYNODI.
Cap. XXI.

- 1 **C**ancellarius Episcopalis solet esse Notarius actionis Synodalis; qui idcirco semper aderit prope mensam Secretarij, & in fine cuiuscunque sessionis rogatus à Promotore, vt conficiat instrumentum, &c. respondet, se facturum, assumendo testes aliquos certos de Clero, quorum nomina scribat in Actis.
- 2 Idem solet alicubi vocare Clerum ab eo loco, vbi desinit Secretarius, & absentes notare debet, vt puniantur, nisi excusentur deinde à Iudicibus.
- 3 Ad eundem attinet scribere in libro nomina eorum, qui fidei professionem in Synodo emittunt, vel, si multus foret numerus professorum, per schedulam affixam curet, vt moneantur professuri fidem, quod ferant secum schedulam eum nomine, cognomine, beneficij titulo proprio; & statim ad eam emisserint, consignet quisque suam Cancellario, qui acu, & filo adhibito, schedulas omnes colliget, & conseruabit, & in librum referet, vt sine tumultu ea professio adnotetur. Formulam huius rei habebis infra 4. part. c. i. num. 6.

DE LECTORE DECRETORVM.
Cap. XXII.

- 1 **S**ecretario datur adiutor ad ea multa munera, quæ sunt eius propria, & præsertim ad legendum si minus ille multa lege queat.
- 2 Dum legit Decreta, Episcopi præsertim, ad singula pausam faciat, conuersus ad Episcopum; qui forte circa illud, quod proxime lectum fuerit, sensum suum communi sermone aperiet Clero: alioquin profertur.
- 3 Conuenit, vt de gremio Cathedralis Ecclesiæ hic eligatur, & firmiorem habeat vocem.

De Præfectis Disciplina Synodalis, & Scrutinij
Cap. XXIII.

- 1 **E**ligendi sunt de Clero, tum Vrbanus, tum Diocesano, si opus est, aliquot Sacerdotes ætate, prudentia, zelo, & disciplina Clericali conspicui, quorum opera tum Clerus vniuersus contineatur in officio, tum promoueatur ad meliora.
- 2 Numerus is erit, qui sufficiens esse poterit ad Scrutinium vniuersi Cleri finiendum intra tempus sessionum Synodaliū, ea proportione, vt vnicuique scrutandorum numerus assignetur, non vltra sexaginta.
- 3 Vt autem vna lingua loquatur omnes in iudicio ferendo de vestibus, barba, colore caligarum, & eiusmodi, conueniant hi semel ante Synodum coram Episcopo, & iuxta Tabellam Scrutinij conferant inter se, quid communiter sit censendum, ne contraria videantur sentire, aut laxius alij alijs.
- 4 In hoc conuentu dabitur cuique Præfecto Tabella Scrutinij sancita, vt supra capit. 11. danda infra in 4. part. c. 4. num. 6. & præterea in Scheda assignabitur vnicuique tum Cleri pars examinanda, tum locus, idest, Capella Ecclesiæ Cathedralis pro Scrutinio, quæ distributio Cleri, & Capellarum sub tali, vel tali præfecto, vt Clero pateat, in folio, seu folijs affixis in Ecclesia, etiam ipsi curēt Præfecti ad formam describendam in 4. p. cap. 9. num. 11. præter Secretarium. Habeant etiam catalogum eorum, quos quisque scrutari debet.
- 5 Quisque item Præfectus, eligere potest scribam, vt notet responsiones subiectorum Scrutinio. sed ipsemet scribat ea, quæ secreto communicantur, tanquam grauiora.
- 6 Vt autem delatores aliorum secreto habeantur; & tamen, si opus est, iidem repeti possint circa ea, quæ deposuerint contra alios Præfectus adhibeat notas aliquas, solus ipse noscat, & delata nemini communicet, nisi Episcopo.
- 7 Scrutinium sumet exordium à publicatione Decreti de Scrutinio; & exerceri poterit etiam domi, extra sessionem Synodalem.
- 8 Scribant ordine, quo per catalogum quæque vocant; qui si habuerit omnia requisita iuxta Tabellam Scrutinij, satis erit scribere, Habet omnia, &c. sin minus, notentur ea tantum, in quibus quisque defecerit.
- 9 Omnino notent, qui ad Scrutinium non accedunt, vt dent condignas pœnas.
- 10 In describendo Scrutinio, si eadem for-